Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1780)

Lisez 1480

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 3. Martii.

M. FRANCISCO AFFORTY, Doctore Medico, Præside.

An potio è Salviâ, salubris?

MEDICINÆ Principes sapientèr statuerunt, quæ optimè valent corpora, similibus esse conservanda. Similia à dissimilibus maximè dignoscuntur anatome physico-chymicâ, quâ patet corpus humanum, tùm & alimenta, quibus reparatur, ex aquâ, terrâ, sulphure, spiritu, & sale componi. Rident qui existimant hæc vel ignis vel putredinis opus esse, non naturæ. Enimverò multæ salis species sponte se nobis offerunt: ex saporibus plantarum non ineptè colligitur eas nativo sale condiri: earum succi, sive recentes, sive putrescentes, syrupo violaceo affusi subviridem vel purpurascentem colorem plerumquè conciliant, qualem sal acidum, vel alkali ignis ope extracta: Absinthium, Acetosa, Carduus benedictus sal essentiale præbent, Isatis & Helenium absque igne sal volatile. Rosæ & Jasmini flores nullo admoto calore suaviſſimum exhalant spiritum, qui in liquorem cogitur, si alembici caput glacie operiatur: sulphureos montes ad nubes usque surgere, bituminisque fontes è rupibus fluere notum est: oleum, resinam, & adipem nullo cogente plantæ & animalia fundunt. Quid mirum? si alimenta iis abundent, quibus illa continuò instauruntur. Non immeritò posterior ætas duas celebres fecit salis species, acidum & acre seu alkali, ex quorum connubio salsum oritur, quod Hermaphrodito simile, neutrum est, & utrumque videtur. Salsorum non unus ordo, sed multiplex; vulgatiores species sunt sal marinum mari proprium, ammoniacum aeri; vitriolum, alumen, gemmeum, natrum, nitrumque terræ; acetosum plantis; muriaticum denique & Stygio-regium salsamentariorum & chymicorum officinis. Sal acidum, vel acetoso sapore dignoscitur, vel odore, vel fermentatione cum acribus, vel colore purpurascente, quo tingit tinctura Heliotropii tricocci, syrupum violaceum, aut decoctum radicum Helenii: Sal verò acre præter saporem & odorem proprium, syrupum violaceum viridi colore inficit, lacteo verò aut xerampelino mercurium sublimatum in aquâ solutum, aut ipsum præcipitem agit, vel solutionem salis Saturni perturbat, aut coagulat. Ut igitur constet, an ea, quæ à nobis assumuntur, salubria sint vel insalubria, inquirendum ex quibus ipsa, tùm & corpus nostrum, coalescant partibus.

CORPUS humanum phlegmate abundat, sulphure pingueſcit, sale volatili turget, parùm continet salis fixi & terræ, multò minus salis acidi. Sanguis humanus ex duobus liquoribus conficitur; rubro, qui sulphureus est, & limpido seu aqueo. Ruber in tenuiſſimas guttas oleosas, sale volatili & terrâ imprægnatas divisus, limpido miscetur, ut oleum probè agitatum, aquæ. Facilè ardet rubra pars exsiccata; limpida difficilè. Ex tribus libris partis rubræ, primùm eliciuntur phlegmatis penè insipidi libra una, & unciæ decem; deindè phlegmatis graveolentis unciæ septem, & drachmæ tres; tùm spiritûs subruffi unciæ tres, cum drachmis tribus; mox olei unciæ tres, drachmæ septem, & grana duodecim; salis volatilis concreti drachmæ quatuor; demùm è capite mortuo extrahuntur salis fixi salini drachmæ duæ, & terræ leviſſimæ ac spongioſæ drachmæ tres, cum granis quinque. Eadem prodeunt ex parte limpidâ, sed phlegmatis major, olei verò, & salis utriusque, minor quantitas ineſt. Phlegma autem insipidum sublimati, & salis Saturni solutioni, lacteum; viridem verò syrupo violaceo colorem inducit. Spiritus sanguinis sublimatum præcipitat, & cum spiritu salis effervescit. Eadem præstat aqua communis diu agitata cum oleo sanguinis. Quod residuum est, priusquàm oleum erumpat, Heliotropii tincturam purpuream efficit. Ex hoc residuo, tùm & sale fixo, conjiciendi locus paululùm acidi in sanguine contineri. Sal fixum sanguinis sapore sal marinum æmulatur; utrumque solutionem argenti præcipitem dat; ægrè solvitur aeri expositum, vixque sublimati solutionem subluteam reddit. Mirùm profectò tam parùm acidi è sanguine humano elici, cum vescatur homo lacte & lacticiniis, vino, fructibus, radicibus, oleribusque, in quibus acidum lactis dominatur, quàm acre. An per diaphoresim & excrementa totum penè amandatur? An ad bilis generationem confert? Sudor, urina, fœces, acido donantur, non verò carnes. Sal fixum fœcum adeò salinum est, ut solutionem sublimati non alteret. Bilis ex se solâ effervescit. Quid plura? Spiritus fuliginis, & cornu Cervi, recenti sanguini affusus, subitam affert effervescentiam. Hinc sal acidum, sed exiguâ quantitate in sanguine delitescere, manifestum est; cujus fortè si copia major fiat, quàm natura postulat, vel si ejus moleculæ præter naturam crassiores evadant, pluribus morbis originem præbent.

AD tuendam integrè sanitatem, non solùm alimentis, sed iis indigemus, quæ, medium locum inter alimentum & medicamentum tenentia, corrigant, si assumpta quid vitii invehere apta sint. Quæ boni succi & facilioris sunt coctionis pauperibus desunt, divitibus verò fastidium creant, nisi acuantur embammatis, cupediis, adipe, sale, pipere, aceto, omphacio, Allio, Cæpe, cæteriſque gulæ irritamentis quæ ventriculo & intestinis labem, vix ullâ arte medicabilem, sensim inferunt. Perpende alimentorum naturam, & facilè tibi suadebis, omnia fermè, vel ratione substantiæ, vel ratione usûs emendanda esse. Panis cunctis gentibus alimentum commune, sulphure abundat, quod nisi debitâ fermentatione comminuatur, succos viscidos generat pariendis viscerum infarctibus idoneos. Caro vervecina cæteris præstat, principiis tenuioribus, magisque inter se temperatis gaudet, nec contextûs crassioris & densioris est, ut bovina; neque mucagine & oleo inficitur, ut vitulina, agnina, hædina, suilla. Verùm frequens carnium usus, qualis esse solet apud nos, semper aliquid importat mali. Pisces plus phlegmatis habent, quàm animalia terrestria, texturæ sunt ut plurimùm molliori, acido penè destituuntur, & sulphure pollent, sed nimio butyro, oleo, & aromatis condiuntur. Lac analysi chymicâ sal volatile concretum nequaquam præbet, sed multùm acidi, parumque spiritûs urinosi, & salis fixi salini: vaccinum plus olei, caprillum plus acidi, asininum plus seri continet. Mel ferè totum in acidum solvitur. His ergo cautè utendum. Ingredere hortos & viridaria, in quibus radices esculentæ sese offerunt, quæ acido abundant, nullumque sal volatile concretum, nisi paucæ admodùm largiuntur, quod tamen extrahitur ex oleribus, quæ tota fermè aquea sunt. E leguminibus multùm olei, spiritûsque urinosi prodit, parum salis fixi, & terræ. Poma, Pyra, Persica, Cerasa, Ficus, plurimùm phlegmatis subministrant, multùm acidi, parùm salis acris, olei, & terræ: hinc minùs salubria sunt. Temperatarum regionum vina plurimo phlegmate diluuntur, sulphure, & sale acido tenui gaudent, nulloque penè tartaro inficiuntur; sed quod naturâ benignum est, pessimum fit intemperantiâ. Quæ in calidioribus Europæ tractibus nascuntur, salino-sulphurei, tartareisque partibus, quæ crassiores sunt, morborum Iliadem trahunt. Cervisia & Hydromel acido crassiori donantur. Pomaceum & Pyraceum acido & austero planè scatent. His ergo benè utere, vel, si genio indulgeas, propera ad Salviam, quæ te à pluribus morbis immunem reddat.

[a] Lib. 3. cap. 33.
[b] Prod. lib. 6. cap. 20.
[c] Lib. 6. hist. plant. cap. 2.
[d] Lib. 22. hist. natur. cap. 25.
Pin. lib. 6. sect. 6.

SALVIA latinis, Gallis *Sauge*, ἐλελίσφακος[a] Dioscoridi, cujus verba convenire videntur Salviæ folio subrotundo Caspari[b] Bauhini, si cum Oribasio, Ætio, Serapione, Ruellio, & Salmasio legas, φύλλα δὲ μελάχ κυδονίᾳ ἐοικότα. Si verò Cratevæ & Plinii exemplo folia Salviæ foliis Menthæ compares, tunc Dioscoridis ἐλελίσφακος non longè erit à Salviâ nostrâ vulgari.[c] Theophrasto σφακέλῳ ἐ ἐλελίσφακος inter se distant, quasi alterum urbanum, alterum sylvestre genus dixeris.[d] Plinius more suo historiam Salviæ obscurè contexuit deceptus affinitate vocum φακὸς & σφακὸς, aut σφακέλῳ, quidquid Dalechampius & Salmasius dicant. Salvia nobis plantæ genus est, floribus monopetalis & labiatis, labio superiori falcato, inferiori tripartito, pistillo in quatuor abeunte semina, quæ fovent ab ovario Cytiniformi, quod è perianthio floris pericarpium evasit. A congeneribus maximè differt Salvia, staminibus ossis hyoidæi imaginem præse ferentibus. Dioscoridi species una fuit, Theophrasto gemina, Plinio anceps, recentioribus suprà duodecim. Quâ utuntur in re medicâ, Casparo Bauhino Salvia minor aurita & non aurita dicitur, Gallis *Sauge franche* quasi Salvia nobilis. Hæc perenni & lignosâ radice fruticat ad duos pedes assurgens, surculis ramosis, caulibusque quadrangulis & canescentibus, ad quorum exortum folia densè nascuntur bina ex adverso posita, duos digitos longa, semidigitum circitèr lata, mucrone acuto, basi quandoque auritâ, brevi pediculo innixa, subaspera, quo planè modo, ut egregiè Dioscorides annotavit, esse solent usu detritæ vestes, retorrida, quasi exsucca, & cinerei quodammodo coloris; odoris autem aromatici, qui cerebrum petit; saporis amari & acrioris, qui salivam elicit. Summos caules verticillatim & spicæ in modum ambiunt flores purpuro-cærulei. Ex libris quinque foliorum Salviæ per sesquimensem maceratorum, prodeunt libræ quatuor aqueæ beneolentis, cui innatat pauxillùm olei ætherei; tùm erumpunt spiritûs subruffi unciæ duæ; mox olei, axungiæ crassitiei, unciæ tres, cum drachmis quatuor; deindè salis volatilis concreti drachma una, cum granis triginta. Demùm è capite mortuo salis fixi exquisitè lixivialis drachmæ quinque, cum granis duodecim; terræ verò unciæ circitèr duæ. Aqua autem Salviæ acido tenui pollet, & Heliotropii tinctura purpuream facit, Spiritus solutionem sublimati coagulat, & effervescit cum spiritu salis, perindè ac oleum. Sal, cùm fixum, tùm volatile, xerampelinum colorem inducit solutioni sublimati.

POTUS desiderium cunctis animantibus insevit natura, ut imprimis aqua descenderet in eorum corpus, ad ciborum dissolutionem, humorum fluiditatem, & corporis refrigerium. Hinc ubera sua tellus ubivis & omnibus offert. Cæteræ potûs species suam arti debent originem, ad delicias, vel ad sanitatis tutelam institutæ. Aqua votis omnibus abundè respondet. Ejus satietatem respuit natura ut & vini, sed quod malum ingens est, vini aviditas augetur suadente nimiùm gratâ vini fallaciâ. Fælices nimiùm Galli, sua si vina benè norint. Moderatè utantur Campanis & Burgundiacis, quibus palatum rectè moratum est. Exulent Malvaticum, Chium, Hispanum, Canariense, Sanlaurentianum, Frontinianum, quæ toxica fiunt cauponum perfidiâ, vel malè sana bibendi libidine. Si advehantur ad nos, medicamina sint potiùs, quàm alimenta, & sumantur ad unciam. Fato suo relinquantur, qui Ratafiâ, Perſico, Fœniculato, Rossoli, Spiritu vini, Aquâ Cetiâ, aliisque voluptuariis venenis sanguinem & viscera torrere amant. Quod si vina benè norint, gelidis Ursæ accolis conveniens, non æstuantibus Gallis. Caffe sorbillent, qui à somno & quiete abhorrent, quoſque strenua exercet inertia. Chocolatam avidè hauriant invitâ Venere, & irato Cupidine nati. The propinent, qui pluris faciunt, quæ pluris emunt, quibusque sordent facilia naturæ munera. Qui vitam quærunt diuturniorem ac beatiorem, vino utantur ad sustinendas vires, & Salviæ nobilis potu ad alacriorem & vegetiorem sanitatem. Foliorum Salviæ probè exsiccatorum pugillum injicito in aquæ ferventis libras duas, vas operito per breve tempus, mox liquorem in pocula decantatum (ut plurimùm sine saccharo) sorbillando propinato quavis horâ, quavis tempestate, cujusvis sexûs sis & temperamenti; ad functiones obeundas te expeditiorem reddet, dabisque progeniem vivaciorem ac valentiorem. Modò enim acido tenui fermentum ventriculi moderatur, si paulò acrius sit; bilem obtundit, si insurgat; sanguinis & spirituum impetum cohibet, si nimius sit; siccioris & calidioris temperamenti hominibus conveniens potus: Nunc sale alkali ventriculum & intestina abstergit ac roborat; bilem attenuat, si ad crassitiem vergat; sanguinis motum restituit, si torpere incipiat; spiritus recreat, si fortè languescant, melancholicis & pituitosis amica potio. Hinc Salvia cerebro, nervis, utero, renibusque convenit. Meritò parantur è Salviâ pulvis sternutatorius ad exonerandos capitis sinus; fumigium ad pestem; succus, decoctum, vinum, essentia, spiritus, sal, oleumque ad sudores movendos; Aqua demùm, extractum, syrupus, conserva, balneum, ad roborandas partes, fugandosque sale suo volatili oleoso, tremores artuum, & spasmodicos affectus, quos calidiorum potuum abusus procreare solet.

Ergo potio è Salviâ, salubris.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Lutetiæ Parisiorum JOSEPHUS PITTON TOURNEFORT, Aquisextiensis in Gallo-Provinciâ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.